



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XLVIII. Praeceptum Ludovici Pij de monasterio sancti Andreae Viennensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

pars iustè & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneat atque possideat, & faciat exinde quicquid elegerit. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur & per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillari iussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Meginarius Notarius ad vicem Friduguli recognovit & subscripsit.

Data v. Kalendas . . . anno Christo propicio x. v. Imperij Hludovici serenissimi Imperatoris & Hlotarij v. i. Indictione v. i. i.

Actum Aquigrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XLVII.

*Præceptum Pippini Regis Aquitanorum de navibus sancti Martini Turonensis.*

An. 831.  
Ex chartulario S. Martini Turonensis.

**P**ippinus gratia Dei Rex Aquitanorum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenariis, seu reliquis fidelibus nostris, presentibus scilicet & futuris. Notum sit quia concessimus Fridugiso Abbati ex monasterio sancti Martini, ubi ipse pretiosus confessor corpore requiescit, ut monachi qui in Comarico monasterio, quod est constructum in honore sancti Pauli Apostoli, qui sub regula sancti Benedicti conversari videntur, licentiam haberent duas naves per Ligerim fluvium & Viennam & Garum & Ganagum & per diversa flumina in regno Domino propicio nostro discurrunt huc illucque propter necessitates suas dirigendi. Et ita annuimus, re ullum teloneum vel de sale vel de ullis quibuslibet rebus in ullo omnino loco totius regni nostri ipsi aut Comites eorum solvere aut dare debeant. Propterea presentem auctoritatem fieri iussimus, per quam specialiter iubemus ut nullus ex vobis neque de junioribus vestris ullo teloneo, vel pontatico, aut ripatico, sive portatico, seu modiatico, vel plantatico, aut laudatico, sive salumatico, seu cepitatico, aut passione, sive occurso, vel ullo censu, nec ulla redibitione, nec occasione ullas villatenus de ipsis navibus exigere aut exactare præsumatis, sed ad ipsum sanctum locum & ad ipsos fratres in nostra elemosyna proficiat in augmentis, quatinus melius dilectet ipsos monachos pro nobis uxoreque nostra ac liberis nostris vel stabilitate regni nostri Dominum exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & melius conservetur, de annulo nostro subter iussimus sigillari.

Suabobus Diaconus ad vicem Ebroini recognovi.

Data v. Kal. Mart. anno xv. i. i. Imperij Domini Ludovici serenissimi Augusti, & xv. i. i. regni nostri.

Actum Aquigrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

831  
831

## XLVIII.

*Præceptum Ludovici Pij de monasterio sancti Andreae Viennensis.*

**I**n nomine Domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si sacerdotum ac servorum Dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innoverint, ad effectum perduciamus, non solum consuetudinem regiam exerceamus, verum etiam ad beatitudinem retributionis profuturum confidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum industria, presentium scilicet & futurorum, qualiter vit venerabilis Bernardus Viennensis Ecclesie Præsul veniens ad nostram serenitatem detulit nobis astrumenta cartarum per que Ansemundus & conjunx sua Anfleubana & filia eorum Remila vocabulo Eugenia monasterium sancti Andreae subterioris sancto Mauricio condonavimus & tradiderunt, atque prædicti conditores ob firmitatis studium sancto Leoniano consignaverunt, & sub potestate & ordinatione . . . . . Episcopi Ecclesie Viennensis & successorum illius utili actione omni tempore maneat. Insuper & præcepta piorum Regum ostendit Teuderici scilicet & Guntranni, per que ipsi sancto Mauricio confirmaverunt firmius ad habendum. Sed prædictus Bernardus Episcopus retulit celsitudini nostræ ipsum monasterium propter cupiditatem malorum hominum ab eadem Ecclesia substractum. Nos quoque iustam immo rationabilem petitionem illius judicantes, restitimus ipsum monasterium sancto Mauricio & Barnardo illius loci Episcopo per nostræ auctoritatis præceptum pro mercede & remedio animæ nostræ atque totius imperij nostri emolumento, ut tam ipse quam successores sui absque cuiusque contradictione ipsum monasterium ordinent atque disponant secundum voluntatem Dei & beati Mauricij ab hodierna die & deinceps, & sit sub immunitate nostra sicut & alia res sancti Mauricij. Præcipientes ergo iubemus ut nullus iudex publicus neque iudicialia potestas ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut hideiustros rollendos, aut homines ejusdem monasterij tam ingenuos quamque servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos, nec ullas redibitiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat; & quicquid inde fiscus exactare poterit, totum pro æterna remuneratione Ecclesie sancti Mauricij concedimus. Et ut hæc auctoritas largitatis nostræ inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Data V. Nonas Martias anno Christo propicio xv. i. i. Domini Hludovici serenissimi Augusti, Indictione v. i. i. i.

Actum Aquigrani palatio regio in Deo nomine feliciter.

Helisachar recognovi.

An. 831.  
Ex chartulario Ecclesie Viennensis.